

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Conradi Samvelis Schvzrfleischii Opera historica politica

Schurzfleisch, Konrad Samuel

Berolini, 1599 [i.e. 1699]

LXXIX. Char. Euent. Ad Rat. Imper

urn:nbn:de:bsz:31-102564

tractarentur et aspere, mox vehementius refricari coeperunt. Postea rebus pace confectis, invisa dominatio, et servitutis metus, et belli civilis mala sublata sunt, ac aequis reipublicae legibus studia partium cesserunt: domi quies et diu firmata libertas adhuc praesidium habent, nisi quod externa potentia difficultates obicit, et cura tuendi limitis superest, quem nuper barbari, sed non inulti, ruperunt, et ab urbe Augusta, quae fortiter obsidionem pertulit, reiecti, collatisque signis repulsi, cladis ignominiam sibi, fugae memoriam posteris. Caesari locisque victoriam, aeterna laude dignam reliquerunt. Sive autem hoc inclinantis barbarorum imperii, sive degenerantis eorum fortitudinis indicium omneque capiatur, profecto Dei providentia constitutum est illud rei Christianae propugnaculum, ut in eo Solymani gloria obsolescat, et Mahometis IV. fortuna, exuto castris exercitu, ibi haesitet, atque omnes adeo ferocissimorum hostium conatus viresque isto in loco opportune et auspicate frangantur.

LXXIX. CHAR. EVENT. AD

RAT. IMPER.

Dermultum rationes et exempla valent, et omnia, quae traduntur a sapientibus, ulu confirmant, ac variis reipublicae negotiis in signe momentum afferunt, et modum formamque agendi commo- strant, si ea, quae par est, comparandi solertia, et accommodandi iudicio adhibentur.

§. II. Id potuit Themistocles, et naturae bonitate, ac idonea exercitatione consecutus est, ut unus is maxime inter suos, consilio praesenti et expedito uteretur, *apud Thucydidem lib. 1. et Corn. Nepotem in Themistocle cap. 1. 2. seq.*

§. III. Omnino enim sapiunt, qui ut tempora incidunt, sic res quasque opportune cogitant, et apte conferunt, et recte iudicant, atque in ea parte etiam praestantiores imitantur. *Aristides in oratione de Smyrna ad Augg. Marcum et Commodum habita.* Hoc Themistocli reipublicam capessenti usque venit, cum utraque mentis vi praeditus, facta Milciadis intueri, et imitari consuevisset. Adeo verum est illud. τὸ μιμίωμαι τὰς κρείττους ἐν Φρονέσιν ἐστίν. Ipse hoc falsus est Themistocles, quum animo ad laudem erecto dixit, *ὡς καθεύδων αὐτὸν ἐν ἐώῃ τὸ Μιλτιάδης τρέπαιον,* *apud Plutarchum in Theseo.*

§. IV. Quod statu urbis populari Dux Atticus effectum dedit, et apta rerum consiliorumque similitudine civibus ostendit; haud alieniore exemplo comprobavit, et feliciter confecit Mecoenas, sed firmando unius imperio intentus, quod salus publica, et belli civilis finiendi necessitas, et ipsa adeo temporum ratio non ferrent, ut civitas exaequato iure in posterum uteretur, populoque libertas, Caesari

Q 99 999

pre-

precaria dignitas relinqueretur, *apud Dionem lib. LII.* Huius argumenti est deliberatio *apud Herodotum III. 80. 81. 82.*

§. V. Non omnia omnibus conveniunt, et alia plerumque aliis expediunt aut placent: quosdam exaeqvati iuris societas, et populare imperium, quosdam optimatum status, et ratio formaque regendi paucorum, reliquos imperium unius continet ac moderatur. Otanes populo summam potestatem asseruit, Megabyzus pro optimatibus stetit, Darius Hystaspis pro regno verba fecit, *Herodotus d. l.* Cum huius sententia congruit oratio Mecoenatis, et consilio abundat, reconditamque prudentiam regnantibus utilem commendat.

§. VI. Apud Francos, gnaros imperandi et bellandi populos, Pharamundus A. CCCCXVII. solenniore regni auspicio suam gentisque dignitatem auxit, tantumque praesidii in expeditionis celeritate habuit, ut Honorio imperante, ex veteri Teutonum Francia egressus, Rhenum traiceret, nec impediri a Romanis posset, quin moveret in terras ipsorum, et occuparet Tongriam, et armorum fortuna insignem faceret locum. *Gregorius Turovensis lib. II. cap. 9. conf. Chronica Prosperi, Idacii et Marcellini.*

§. VII. Quibus rebus paulatim attritae sunt Romanorum vires, cum pro Mecoenate Brilico consiliis praeesset, qui non firmavit rempublicam, sed fraudibus et perfidia prope evertit, stimulis ad irruptionem Vandalis, qui Gallias infestarent, ut ex *Jornande et Marcellino constat.*

§. VIII. Mirum dictum, barbaros saepe consilio et prudentia praestare cultis, emendatamque religionem professis: quod de Alarico Vestrogothorum, et Theoderico Ostrogothorum Rege constat. Alter risit stoliditatem Attali, non idonei rebus, quas gerendas suscepisset, et Honorii socordiam contempsit, quod in re dubia quid eligeret, circumspicere non posset, et Olympio totum se permetteret, viro prudentiae ignaro, et quae recta viderentur, absurde impediendi, *apud Zosimum V. 35. seq. 44.* Alter Zenonem Isaurum Imp. luxuria fractum, armorumque fama territum, ad pacationem adduxit, Italiamque foedis incursionibus vastatam restituit, atque in regni fines descriptam, aedificiis atque omni cultu exornavit, ut vel hoc laudis genere Honorio et Valentiniano III. Augg. praeferti mereatur. Apud istos enim eunuchis et spadonibus, scurris et sycophantis fere omnia licebant, procerumque avaritia, libido, rapinae, et Eudoxiae ac Honoriae impotens odium, inconsulta temeritas, et alienissimi temporis vindicta, imperantium denique sopor, non nisi exitio eorum discussus, ad invidiam auctorum, et damnum reipublicae pertinebant. Contra Theodericus prudens, sobrius, temperans, bellicosus, rerum, quae domi agerentur, gnarus, et negotiorum, quae ad externos spectabant, haudquaquam negligens, occasionibus imminerebat, bellisque inter finitimos componendis sollicitus, omni cura providebat, ne victoria sequentis victoriae instrumentum esset. Hinc Clodovaeo M. superatis iusta acie Alemannis, ita gratulatus est, ut simul operam laborem.

boremque pacis causa interponeret, Regemque admoneret, animo temperaret, armorumque cursum sifteret, et victoriam moderatur. Non committendum putabat, ut nimium cresceret finitimus, metum pariter damnumque illaturus, si longius progrediretur. Qui non impedit, quum potest, non magis crescendi, quam nocendi materiam subministrat. *vid. Cassiodorus lib. II. var. ep. 41.* In eandem sententiam exhortatus est Clodovaeum, animumque eius minis et obtestationibus inclinare voluit ad pacem, *lib. III. ep. 4.* Haec enim ratio inter gentes semper valuit, ut bello apud finitimos coorto, nunquam imparatae essent, et quanto possent conatu, partibus intercederent, ac potentiae aequaliter constituendae, vel intra modum retinendae consilia inirent. Quo pacto Romani, Franci et Gothi Hunnis mature obstebant, non passuri hos nimis crescere, et isti etiam annitebantur, uti pax conveniret, et invalescentis potentiae metus adimeretur: si nihil aequi impetrarent, copias instructas, et vires integras pacem abnuentibus demonstrabant. Non arcessam ex Thucydide exempla, quorum argumenta alibi prompta expositaque praebemus.

§. IX. Sed bella non temere gerenda sunt, et quum geruntur, praelia non impetu, sed consilio iniri oportet. Nam ex quo summa rerum pendet, id non debet nisi cogitato et mature perfici, quando festinatio prohibet, quominus omnia accurate circumspiciantur. Hoc post Tiberium summa ratione, et eodem exitu declaravit Iulianus, qui barbaros trans Rhenum magis consilio, quam manu repressit, atque hinc Zosimus rupti limitis, et vastati imperii culpam in successores transtulit, et mollitiem negligentiamque eorum conquestus affirmavit, omnem veteris Imperii felicitatem cum Iuliano stetitisse et corruisse, quod nunciata eius morte, cuncti fere barbari insurgerent, bellumque Romanis inferrent. *lib. IV. cap. 3. 9.* et Libanius *ont. X. in necem Iuliani*, ubi existimat, eum, si longius vixisset, Persiam quoque ad imperium ditionemque Romanorum adiungere potuisse. Perinde ac ante eum Marcus Imperator in animo habuit subigere Scythiam, unde tot eruptiones factae, et tot tantaeque iniuriae, clades, damna sunt illata. Sed uterque in conatu difficilis belli sublatus est, fatorum, opinor, ira, ut inde se barbarae gentes effunderent, imperiumque lacesserent ac vastarent. *V. Dio apud Xiphilinum in excerptis in Marco Antonino.*

§. X. Id ergo perturbata ratione et ordine, fieri putandum est, quod a matura deliberatione non proficiscitur, quamvis saepe ex casu prosperum sit, et laeti eventus excusatione se defendat. Recte Fabius Maximus dixit. *Nec ego, ut nihil agatur, moneo, sed ut agentem te ratio ducat, non fortuna. Tuae potestatis semper, tuaque omnia sunt. Armatus intentusque sis: neque occasione tuae desis, neque suam occasionem hosti des: omnia non propemti clara certa que erunt: festinatio improvida est et coeca.* *Livius XXII. 39.* Alibi Sp. Posthumius. *Nec nos in bello satis cavimus, et illi male partam, victoriam male perdidit, apud eundem IX. 9.* Omnino praecipitabat consilium Philippus Valerius, qui nimio pugnandi ardore res suas evertit, cum Fran-

ci cursu in praelium irent, priusque se fatigarent, quam ab hoste fatigarentur, nec loci rationem haberent, sed impetu ruerent in Anglos, qui impeditum locum delegerant, et non libidine, sed necessitate compulsi resistebant, foedamque Francorum stragem edebant. *Paulus Aemilius lib. IX. Berthault, lib. III.*

§. XI. Commodum hic in mentem venit Ludovici XII. qui, postquam praelio experiri constituerat, crepta fugiendi spe, in hostem duxit, atque hoc necessitatis telo, milites ad strenue pertinaciterque pugnandum incitavit, et transito Abduafi, pontes rescidit, ut Franci scirent, aut vincendum, aut moriendum esse. Quae res quidem bene cecidit, et victoris gloriam auxit, qui, cum suos aliquando in summo fortunae discrimine elabi solitos animadverteret, non admonere solum, sed etiam adempta retrocedendi spe, adigere voluit ad acriter obstinateque resistendum. Cuius rei exemplum ante eum prodidit Gvilielmus Normannus, qui classem, quam in Angliam traiecit, statim incendit, postquam copias in continentem exposuit, ut spe redeundi praeclusa, ad fortius acriusque dimicandum inflammaret. *V. post Polydorum Vergilium Berthault El. Franc. l. IV.* Sed prudentis non est permittere fortunae, quod ratione et consilio contineri debet, neque talia exempla sequenda sunt, quae plus audaciae, quam virtutis habent. Quae providi sunt, qui priusquam in pugnam descendunt, de idoneo receptu cavent, quod superiori tempore Foederati neglexerant apud Nordlingam: contra Caesarei, cum praelii committendi consilium caperent, omnium minime negligendum putarunt. Excipimus hic casus improvisos et repentinos, qui non dant deliberandi spatium, nec sinunt interponi moram, et certe postulant consilium ex aena.

§. XII. Omnino igitur consilio potius, quam armis, vincendi sunt hostes, et praelia, quod fieri potest, declinanda, quoties expedit, trahi tempus, et mora frangi ferociam, quae nulli rei minus, quam cunctationi, resistit, et difficultate aditus, atque inopia commeatus facillime subigitur et expugnatur. Hae artes erant Fabii, quas prudens sciensque consuevit imitari *Reymundus Montecuccoli*, proximo bello sapienter cunctatus, ut astu eum vinceret, qui astum in summa laude ponebat, et victoriam insidiis, quam sanguine partam malebat.

§. XIII. Tanto minus committendum est, ut in utili cunctatione agendi occasio amittatur, praesertim quum omne rei conficiendae momentum in celeritate positum est, in quo genere bis peccare non licet. De Alexandro *Arrianus*, de Cethego *Salustius*, de Cereale *Tacitus* affirmat, semper intentos ac paratos, multum in celeritate et praeventendi industria collocasse. *Significanter Tacitus: subitus consiliis, sed eventu clarus, hist. V. 21. 5.*

§. XIV. Prudentissimus quisque cavet pericula, non contemnit, maxime in bello, in quo valet opportunitas, et exploratoribus opus est, ut maiori pecuniae, quam sanguinis impendio hostes profligentur. Qua laude multos anteivit *Ferdinandus Gonzalvus*, et subactis *Granadensi* et *Neapolitano* regnis, magnum rebus
Hispa-

Hispanicis incrementum attulit, et opes viresque Ferdinandi V. *Catholici* summopere firmavit. *Io. Mariana de rebus Hisp. lib. XXVI. Fazellus dec. post. lib. IX. Paulus Iovius in tribus libris de vita Gonsalvi scriptis.* Superfedeo recentioribus exemplis, aliis quia dignis, quae in rerum gestarum commentarios referantur.

§. XV. Illud praecipue cavendum, ne summae rei periculum faciant, nec transfugis semper fidem habeant, neque eis potestatem faciant alloquendi Principes, nisi vestium latebris penitus exploratis. Illud usu probavit Ludovicus IX, Francorum Rex, apud *Philippum Cominaeum Comment. lib. I.* In quam sententiam Civilis et Classicus Valentinum ducem in tempore praemonuerunt, et fugiendi praecipitis consilii auctores fuerunt, *Hist. IV. 71. 5.* Quorsum videatur *Paulus Paruta disc. Pol. lib. II. cap. 10.* Hoc opportune praecavit quidam Hispalensis, aetate et usu militari prudentiae confirmatus, cum Saracenus Algezirae praesidiarius, ense abscondito, ad Alfonso XI. in urbis obsidione haerentem tenderet, et a custodibus agnitus, habere se diceret, quae ad Regis salutem pertinerent: multi faciles erant, sed abnuebat veteranus miles, nec intromittendum putabat, nisi perquirendi sui copiam fecisset. Mox sub tunica repertus gladius, barbarum confessione sceleris convicit, *Rodericus Santius hist. Hispan. part. IV. cap. 12.* Si pari cura et circumspeditione venientes et introeuntes perquirendos curasset Henricus Valeus III. non tam funestum insperatumque exitum habuisset, *de quo videtur Thuanus hist. lib. XCVI.*

§. XVI. At enimvero nimius in perquirendo erat Dionysius, si Tullii iudicio standum est, qui mandabat stipatoribus, ut *perscrutarentur arculas muliebres, et ne quod in vestimentis occultaretur telum, exquirerent, Officiorum II. 7.* Sed non poterat aliter Dionysius, nisi elueret tyranni maculam, et abstineret crudelitate. Congruerat consilium corrupto regnantis statui, quo omnium in se odia concitaret. Regno in tyrannidem verso subsidia a dominatione, a vi metuque petenda videbantur. Equidem Tarquinio superbo exitum attulit, quod ab ea cavendi ratione haud alioqui alienus, Brutum et proceres de potentia suspectos, crescere pateretur, qui postea ad evertendam tyrannidem, et recuperandam libertatem exarsērunt. *Florus in ep. hist. Rom. lib. I. cap. 9.* Benevolentia civium munit regna, sed Alexandrum Pheraenum, Dionysium Siculum tyrannos vel sola amicitiae fiducia evertit. *Diodorus Siculus bibl. hist. lib. XVI.* Subtilior tyrannidis techna est, quae benevolentiam praefert, et speciose cavet, minusque offendit, et imagine libertatis libertatem securius convellit: quod Tiberius callide graviterque demonstravit, *apud Tacitum annal. I. seqq. et Dionem lib. LVII.*

§. XVII. Optima sunt consilia, quae cum rerum temporumque conditione congruunt, atque his rationes agendi consentaneas habent. Multa regnantium commodis praebet occasio, qua recte utebatur Augustus, et alios aliorum auxilio evertit, et crescendi opportunitatem adeptus, ipsos tandem adiutores sociosque oppressit. Ita praecipites dati sunt Lepidus, Antonius, Sextus Pompeius, Brutus Cassiusque,

nsque, ut auctor est *Dio Lib. LVI.* Cyrus subacto Lydorum regno, tanta potentiae accessione auctus est, ut nemine prohibente, totam fere Asiam occuparet. *Herodotus I.* Non difficilius foret imperare Europae, si quis fracto Celtiberorum regno potiretur, finitimi interim sederent, et securi spectarent ruinas. Experiendo discimus, multa tentando, multa pollicendo fieri, infirmiores metu, potentiores promissis donisque retineri: ab Imperiis, quorum consilia difficilime coniungi, coniuncta autem opinione citius distrahi possunt, non magnopere esse metuendum: respublicas commerciis, quam bellis aptiores, excitato aemulo vel hoste, nihil auras: strui inter socios odia, ali diffidia inter concordēs, demulceri iratos, placari commotos, appellari arbitros, praeferi pacem, promitti satisfactionem: interrim trahi moram, et desideria expleri, urbesque ad aditum opportunissimas expugnari, et castella castellis jungi; ut finitimi prius se victos, quam delusos animadvertant.

§. XIIX. Quibus rebus Principes excitari debent, ut mature provideant, quae contingere possunt, et pacis bellique tempore parati ad arma sint, et in opportunitate rationem atque consilium habeant, nec modo non videri, sed etiam esse nolint incauti et salutis suae negligentes. Simul ut hanc prudentiae gloriam amisit Graecia, libertas sensim periit, et calamitas posteris relicta est, quae solertia et consilio evitari potuisset. Sed Philippus Graeciae civitates artibus tentavit, et blanditiis ac pecunia sibi devinxit, nec minus callide eas Alexander pervasit, ut se communis libertatis defensore uterentur: quae subtilis augendae potentiae ratio, cum insigni amoliendae suspicionis commento coniuncta erat. Inprimis autem falsa opinione decepti Athenienses, Philippum nimis crescere sinebant, nec defendebant socios, neque distrahebant Philippi vires, neque copias mittebant in Macedoniam, ut regem ab incepto retraherent, qui plures astu et auro, quam ferro subegit, et summa etiam ope studuit, ut sapientes sincerique consultores urbe excederent, nec sibi ad totius Graeciae imperium aspiranti obniterentur, quod unius occupatione urbis fieri potuisset. *Vid. Iustinus VIII. 1. 3. et IX. 1. 1. seqq.*

§. XIX. Plurimum refert, ut tempestivae deliberationes, quae non auribus, sed veritati serviant, instituantur, et consilia ingenue conferantur et audiantur. Erravit Xerxes, qui Graecis bellum illaturus, proceres Asiae convocavit, non tam suadendi, quam parendi causa affuturos. *Valerius Maximus IX. 5.* Prudentes non insistant hanc viam, rationemque adhibent ducem, nec, nisi prius audito aliorum consilio, quidquam moliantur. In quo enituit Alexander Farnesius, et ingenio gentis, quam regebat, et conditioni temporum consilia accommodavit, ac Belgium Belgio restituit, fortunamque superiorem correxit, omnibusque belli ducibus tradidit exemplum sequendi. *Ambrosius Marlianus in theatro pol. c. X. p. 178. seq. Ang. Gallucius de bello Belg. part. 1. lib. 1.* Feruida consilia, et feroces animi rationibus imperantium non conducunt, ac bellorum praefectis quoque vituperationi sunt, praesertim

quum

quum togae negotiis adhibentur. Optarem, id cordi fuisset Valensteinio, qui tristibus repulsis, quos plerique summa et sanctissima dignitate proceres, auctore ipso tulerunt, multos offendit, et ab Augusto abalienavit, asperisque facetiis acrem sui memoriam reliquit. Insigne ad posteritatis memoriam est, quod in commentarios retulit *Braebelius*, et hinc non absurde causam, principiumque duxit eius offensae, quae Regem Septentrionis stimulavit et pupugit, ut arma caperet, atque in socialis belli partem veniret. *Hist. lib. III. ad An. 1628.* His nemo ignoscat, qui contra vicinitatis et gentium iura agunt, viriumque fiducia insolenter admittunt, ac finitimos in negotiis ad finium curam tranquillitatemque attinentibus, colloquiis et congressibus publicis arcent. Hodie non facile in haec praecipitia pervenitur, quum animo et usu idonei, ac moderatione insignes ad componendas Regum controversias mittuntur, et tribuni etiam praefectique cohortium fortitudinem non magis viribus, quam prudentia metiuntur. Nota sunt exempla, et repeti possunt a proximo congressu, pacis causa instituto, in quo aliqui ab signis et cohortibus profecti, huius prudentiae, quae in toga valet, luculenta specimina ediderunt.

§. XX. Saepe ne minima quidem spernenda sunt, ut reprimatur ambitio, et motibus occasio praecidatur. Quod ne obscurum sit, efficiam, ut intelligatur exemplo Turcarum, qui Graecis non permittunt alere comam: in quo ritu etsi nihil inest, quod cum tranquillitate imperii pugnet, tamen subverentur, ne, si id concedant, isti fortasse velut signo ad libertatem erecti, ad pristinos mores, pristinaeque fortitudinem revertantur. *Thomas Smit in epistola de Graecae ecclesiae hodierno statu p. 60. 61.*

§. XXI. Omnia ex usu reipublicae fieri, par est, nec prudentis laudem obtinet, qui poenitendo corrigere errores studet. Non satis cavent utilitati suae, qui sola iuris fiducia tutos se fore putant, ignari fraudum, quas calliditas suggerit, praesertim cum suspecta est potentia, ex qua velut trunco perpetui surculi nascuntur. Hoc modo delusi sunt proci, qui Annam Francisci II. filiam, eamque ducatus Britanniae heredem, secure ac nihil metuentes per Galliam deducebant, neque per somnium de sponsa hero suo eripienda cogitabant. Quibus praeter sententiam accidit repentina mutatio, cum Anna invitis et contra obstantibus legatis adimeretur, Regique Carolo VIII. in matrimonium collocaretur. Obtendebat Francus matrimonium per procuratores contractum; perinde ac si id non firmum validumque esset, aut, si esset, Pontifex Ro. ea de causa appellatus, certe ius laxandi exercere posset. *Ioannes Serranus hist. Franc. in Carolo IX.* De fide publica reponebat, legatis, non puellae, datam. Ita spe sua excidit Maximilianus I. et Princeps legationis Hugo Comes Lisnicus, quem omisit Serranus, omnem laboris fructum perdidit, taedio adversae fortunae et solitudine confectus. *V. Petrus Albinus in genealogia Comitum Lisnicensium p. 68. 69.* Liqvet hinc, regnantes occultis saepe uti rationibus, quae, ubi simulacra detexeris, agendo se prodant, et, quum nocent, maxime ex aemulatione potentiae noscantur.

§. XXII.

§. XXII. Nunquam cessat nimium habendi studium in Regibus, et audendo crescit magis, pactaque seu contemnit, sive ex utilitate sua interpretatur. Abstinenti artem privatis relinquit, et pro solertia habet nocendi artes, et cum iustitia pacem, bonasque leges subvertit. Maxime quum Reges eo statu sunt, ut a vicinis spe metuque dissidentibus non timeant, suisque viribus possint, quod alii vix coniuncti praestent. Intelligebat Carolus IX. afflictas Maximiliani res, et aerarii inopiam, nec dubitabat, quin ob gravia reipublicae tempora legatos ad deducendam sponsam misisset. Igitur quolibet modo dissolvendum nodum consuebat, iure, an iniuria, nihil referre credebat, dummodo ne cresceret vicinus, quippe quem pater Ludovicus XI. per connubium Mariae Burgundicae nimis crescere passus fuisset. Vid. *Sernius, et novissimus scriptor Gallus Varilas*. Postea tamen compertum est, liberos ex eo coniugio susceptos ante patrem obiisse, documento posteris futuros, esse Deo curae res humanas, esse ultionem. *V. Grotius in Prolegom. l. B. et P. §. 20.* Non enim commenta aulica sunt, huiusmodi fiduciariae nuptiae, sed recepto inter Principes more contrahuntur, et iudicio Christianarum gentium vera validaque matrimonia censentur. *V. Richardus Zuccherus part. II. sect. 4. quaest. 23. iur. fec.*

§. XXIII. Alios fortuna, alios consilium destituit; nonnulli segnes et imparati, nimia fiducia torpent, multi privatis commodis serviunt, et quum soli rempublicam administrant, eam prope venalem habent. Recte sapienterque Octavius Tiberio svasit, ut ne uni traderet rempublicam, et multorum consiliis uteretur. Non ab re fuerit cognoscere mores Olivarii, quem Philippus IV. summae rerum Hispanarum administrationi imposuit, atque de huius sententia nihil non peregit. Sed Olivarius facilitate et indulgentia Regis, ad fastigium proventus, afflixit regnum, atque aerarium exhaustit, Lusitanos, dudum suspectos, simul in Catalaunos, atque in perniciem Hispaniae armavit. *V. Caietanus Passarellus in belli Lusitani libro I.* Ita Lusitania servitutis, qua premebatur, pertaesa, instigante Bregantium Richelio defecit, qua in re magnus error ab Olivario admissus est, cum rebus passim turbatis, Lusitaniam deductis veteranorum cohortibus, robore et praesidio nudaret, ac novum, nec fide firmum militem surrogaret: quem fugere non poterat ad ultum gentis Lusitanae odium, data occasione erupturum, tantoque futurum acrius, quanto impotentius regnum administrabant Didacus Svarius, et Michael Vasconcellus. Nihil fortunae et casibus permittendum; illud autem maximopere mirandum est, quod Philippus II. occupata Lusitania, Bregantios, regno adipiscendo natos, et materina origine proximos, dignitate et opibus florentes reliquerit, neque in Castellae regnum pertraxerit, ut nervo potentiae inciso, permixti Hispanis, ex longinquo nihil moliri possent, quod ad retinendam procerum populi que fidem per videri poterat accommodatum. Quin et amor patriae sensim exiit, si procul patria vivitur, et cum domicilio spes non minus, atque animus mutatur. Permultum valet situs locorum, et similitudo morum ingenia paulatim mitigat, atque ad servitium inclinat.

Sero autem Olivarius ad fallendi artes conversus, Ioannem huius nominis IV. per insidias abripere voluit; iste enim gnarus periculi, Lusitaniam tenuit, ut occasione immineret, et arma sibi contra Catalaunos tradita, in Castellanos verteret, regnoque potiretur. Praeter rationem fecit Olivarius, sed Breganrius diu animo anxius, et metu ambiguus, confirmante eum Antonio Almada, res suas callide disposuit ac perfecit.

§. XXIV. Magnae quidem temporum morumque vicissitudines sunt, nec familiae solum, sed gentes interdum vim animi remittunt ac largiunt. Satis constat, Normannorum virtutes exolevisse in posteris, et vix remansisse vestigia superioris laudis. Quod observat *Berthautius*, et de aetate hominum pronunciat *Buchananus*. Nostra memoria populi quidam, natura mobiles, arte et disciplina moram ferunt, sapienterque cunctantur, nec in bello, nisi opus est, festinant, praeliaque devitant, et astu vincunt. Acepi dixisse magnum quendam ducem, malle se tempestivum receptum, quam pugnam: consilio potius et prudentia, quam impetu bella geri. Inter hos eluxit Turenus, cunctator prudens, si spatium ei ad deliberandum superesset. Adeo efficax in omnes partes exemplum est, et circumspecti ducis vigilantiam comprobatur, atque ante oculos ponit. Plerique etsi non ignorant has artes, nec prudentiae praesidiis carent, tamen viribus destituuntur. Aliis fides et constantia amicorum deest, non quiescentibus aemulis, qui ut hostes consilio et pecunia iuvant, sic amicos commovent, et exitium per intestinas discordias reipublicae moluntur.

§. XXV. Non raro, nec sine ratione fieri solet, ut bella non ad faciendas provincias, sed ad labefactandas vicinorum vires comparentur. Argus, ut in fabulis est, a Iunone ad custodiam ascitus, providentis, et ex omni parte circumspicientis imaginem praebet, cuius oculus circumcirca prospicit, atque omne id arcet, unde periculum impendet. Quo significatur officium Principis, semper solliciti, atque ad singulos casus intenti, et maxime securitatis rationem ducentis. Vires immodicae, potentia nimia periculum suspicionemque intendunt, atque eo magis Principum animos tangunt, quod vim inde pariter atque iniuriam expectant. Parum fidas potentiae, quae supra modum est, quippe cum minatur, nocet, flammamque imitatur, et opinione citius vicini domum corripit ac vastat. Romani saepe hac via progressi sunt, atque his modis Imperii diuturnitatem firmarunt. Nuper etiam pleraque gesta sunt bella, quorum causas rationesque hic non requiro, fateor tamen, iis vicinorum potentiam sic esse fractam, ut non facile aliis negotium exhibeant, nec temere laedant. Subtrahenda est igni materia, ne maius incendium oriatur. Sed quam haec verbis speciosa, tam re inania sunt, nec idonea belli argumenta a solo potentiae metu sumuntur. Ex sua libidine ius fingunt, qui id licere putant: tantum abest, ut quaedam exempla moveant, ut quoque nulla aequitate et iustitia nitantur. Hac ratione ductus *Hugo Grotius*, sapienter et recte censuit, modos cavendi rectos, et iudicio gentium approbatos, non a vi, sed ab innoxia cautione esse repetendos, nec

R r r

solum

solum de potentia, sed etiam de animo vicini constare oportere, ut evidens sit ratio certitudinis, quae proposito huic congruit, et iustitiae sufficit, quae gentium societas velut vinculo colligatur.

LXXX. CHAR. EVENT. AD DE-
CID. ILL. CONTROV.

CONTROV. I. De Regno Siciliae.

Henricus VI. Friderici AEnobarbi filius, Constantiam Rogerii ex Elvira uxore filiam, eamque legitime natam, et legibus sacri Vestalis Ordinis, quibus adstricta erat, solutam duxit, et hortante Coelestino III. Pont. Rom. permotus, regnum Siciliae obtinuit, Rogerio Tancredi nothi F. excluso.

Multae quidem rationes sunt, quae svadeant, iustam esse Henrici VI. causam, nec vero desunt, quae pro Rogerio afferantur. Ab illis ordiamur licet inpraesens, ac velut in limine argumentum a iure per connubium legitimae filiae quaesito, et sanguine adeo forteque nascendi firmato repetamus. Non potest enim non potior esse causa, quae inter dissidentes praerogativa legitimae nati-
tatis fulcitur.

§. II. Eo non fragili fundamento substructo pronunciemus, meliorem succedendi rationem pertinere ad Constantiam, ut vel sic omnes intelligant, legitimam Hohenstauffiae stirpis successionem hoc modo roborari.

§. III. Etsi vero marium sexus dignior potiorque est, tamen id valet, quatenus conditio succedentium par est, et eadem utrinque comparandi ratio manet. Sed hoc plurimum abest a Rogerio, quem natalium labe ab hac dignitate arceat, viamque ei ad successionem intercludit.

§. IV. Illud quoque extra controversiam est, regnum Siciliae esse foemineum, et, quod hinc sequitur, uxoris nomine possideri, acquiri, et transferri posse.

§. V. Accedit sententia Pontificis Romani, pro iure Henrici VI. pronuntiantis, ad quem ea res ex capite summi dominii pertinet, ut summi iudicis munere fungatur.

§. VI. Nec omittenda sunt facinora aliquoties patrata, et perfidia in sedem Romanam admissa, quod docent exempla Gvilelmi mali, et Tancredi, atque huius filii Rogerii, quibus adducti Pontifices Calixtus, Honorius, Clemens, et Coelestinus III. Normannos in Sicilia Principes vel sacris prohibuerunt, vel principatu mulctarunt.

§. VII. Tum Rogerius, invito Pontifice Romano, ad quem ea res spectabat, regium titulum sumpsit, nec modo Siciliae, sed etiam Italiae Regis nomen ambitiose usur-